

PROBLEMA PHYSICO-MEDICVM.

Vtrum animi pathemata remediis è Medicinâ depromptis ſanari poſſint.

AVSPICIIS

PERILLVSTRIS ET NOBILISSIMI DOMINI

D. BALTHAZARIS FEDERICI RUFFY,

VNIVERSITATIS AVENIONENSIS PRIMICERII, &c.

PRÆSIDE

Illuſtri ac Nobili D.D. IOANN. BAPT. GASTALDY, Doctore Medico Aggregato, Regente ordinario, ac Profeſſore Primario & Botanico.

Quod tuebitur D. IOSEPHVS TRIMVNDVS BRVN, Avenionenſis; Liberalium Artium Magiſter, & Medicinæ Baccalaureus.

PRO LICENTIÆ GRADV.

I.

VIVENTEM hominem ex animâ & corpore ſimul unitis conſtare nemo eſt qui dubitet. Poſitâ verò illâ corporis animique unione
facile eſt explicare varias mutationes quas in nobis producunt animi pathemata à quibus complures tum acuti, tum cronici mor-
bi ſuam ſæpè trahunt originem. Animi pathema eſt mentis commotio ſeu perceptio vehemens inordinato ſpirituum motui conjuncta ex
boni vel mali realis aut idealis præſentiâ. Animi affectuum ſeu paſſionum cauſa in genere, nec ipſa vulgò anima reputatur, quia ſæpè illi con-
tingit vanos edere niſus ut malè ſano huic obſiſtat impetui, nec partes ſolidæ niſi mediatè, ſed potiùs objecta extra nos poſita quæ propter
allatum illum corporis animique nexum varias, ſenſuum ope, apud nos agitationes exſuſcitant quibus miſerè divexamur.

II.

PRIMARIA animi pathemata utpotè vehementiora hîc locum maximè habere judicamus, nempè ira nimia, effrœnatus amor, tri-
ſtitia immodica, &c. à quibus ſecundaria oriuntur, ſcilicet metus, invidia, deſiderium, ſpes, odium, &c. Ut autem diverſa ſunt
hominum temperamenta ita & ſæpè diverſa in iis animi pathemata; qui enim calido & ſicco (ut aïunt) temperamento donantur, ij
magis ad iram & amorem ſunt proclives, illorum enim ſanguis & ſpiritus ad motum ſemper habiles vel levi objectorum impreſſioni fa-
cilè obſequuntur; quod etiam videre eſt in ſanguineis, juvenibus, regionum calidarum incolis, &c. dum ſenes aut ij qui Septentrionales
oras habitant, aut qui temperamento ſunt frigido humido, ſe ad triſtitiam pronos ſentiunt, timent, frigent, &c. Unde conſtare vide-
tur quod ſicut objecta externa occaſionem præbent animi pathematis, ita ſanguis & ſpirituum conſtitutio cauſa antecedens & conjuncta eorum-
dem habenda ſunt.

III.

NE prolixiores ſimus; non omnia ſigillatim animi pathemata omneſque illorum effectus, ſed ex his aliquos breviter explicamus.
In irâ immodicâ ſpiritus animales vehementiore motu acti varias ac mendaces animæ ideas turbatè objiciunt in cerebro, indeque
in reliquum corpus ulteriùs rapidèque ruentes validos membrorum motus excitant, comprimuntur dentes, quatiuntur labia, interci-
ſa verba proferuntur, cordis motus augetur, unde frequentiùs, celeriùſque commoto ſanguine urgetur reſpiratio, facies rubet, oculi
ardent, &c. In amore effrœnato propter certam humorum titillationem atque excandeſcentiam à vegeto & efferato ſpirituum influxu
æſtuat corpus, incaleſcit pectus, cor palpitat, pallore ac rubore facies inordinatè ſuffunditur, diverſimodè moventur oculi, nec mi-
rum; ſolent enim iſti eſſe in amore duces, quamvis non inficias imus abſque oculorum auxilio infidum amorem apud nos ſæpè blan-
diloquentiâ ſe introducere; ſunt enim à nativitate cœci quos acriter urit amor. In triſtitiâ nimiâ ſpiritus ſanguiſque lente[illegible]unt, vires
proſternuntur, pallet facies; ſolitudine gaudent melancholici, inertes frigent, tenuem ſudorem emittunt, erumpunt lachrymæ, alia-
que multa contingunt quæ torpentes & obvolutos ſpiritus, ſanguiniſque conſtitutionem craſſam aut ſubacidam denuntiant.

IV.

EX allatis colligere licet, 1°. Animam corpori unitam varios apud nos motus pro nutu ſuo mediantibus ſpiritibus abſolvere & vice-
verſâ ſpiritus in fibrillis nerveis hoſpitantes per commotionem ab objectis externis excitatam varia animæ repreſentare, unde varia
animi pathemata, variique illorum effectus oriuntur. Colligimus 2°. A certis animi pathematis certum ſpiritibus, ſanguinique motum
ac diſpoſitionem impertiri, & viciſſim à certâ ſanguinis ſpirituumque craſi homines ad certa animi pathemata diſponi. Colligimus
3°. Nos per ſpiritus intelligere aliquid materiale, id eſt tenuiores illius fluidi particulas quod ſanguinem nuncupamus, quæ trans cor-
ticales cerebri glandulas ſecretæ, & ſpirituum animalium nomine propter uſum inſignitæ nerveos tubulos pro ſenſationibus
motionibuſque obeundis perpetuò ingrediuntur; unde minùs iis aſſentimur qui in corpore animali præter liquidas, ſolidaſque partes,
diſtinctione quâdam reali, ſpirituoſas addunt, cum tamen ſpiritus nihil aliud ſint quam liquor valdè tenuis, motûſque facilè capax. Colli-
gimus denique quod cum animi pathemata rerum materialium ope abſolvantur, in quas illa viciſſim agunt, poſſe quoque nos rebus
materialibus ſeu remediis è Medicinâ depromptis mederi animi pathematis, compeſcendo videlicet nimium liquorum motum in ira-
cundis per venæ ſectiones, per refrigerantia, &c. Humorum æſtum & acredinem demulcendo in amore percitis per lenientia, bal-
nea, &c. Sanguinem indeque natos ſpiritus actuando, attenuandoque in melancholicis; & ita alia aliter tractando per remedia con-
venientia à prudenti, patientique medico debité adhibita. Ergo jure concludimus.

Animi pathemata remedijs è Medicina depromptis ſanari poſſe.

Agitabitur, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Aulâ Vniverſitatis, Die Aprilis, à 2ª. ad 6am. 1708.

AVENIONE apud FRANCISCUM MALLARD, Bibliop. & Typog. Univerſit.

